

## Comment. In Danielem

**¶ Spiritus eius.** Pro Spiritu est in Hebræo <sup>מ</sup> Ruach, quæ vox spiritum significat, mentem, animam, iram, ventum, angelum, superbiam, partem, seu plagam. Pro anima accipit ab Ecclesiaste capite duodecimo: Reuertatur puluis in terram suam unde erat: & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Et Psalmo 103. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Et Psalmo 75. Terribili, & ei qui auferit spiritum principum. Pro quo potes vertere: Terribili, & vindemiati spiritum principum. Pro auferre est in Hebræo verbum <sup>ב</sup> Batâr, quod vindemiare etiam significat. Domus ac fami milia regia est vinea quædam, quam dominus vindemiat, cum vult, eripies principibus vitam. Sed quoniam spiritus significat: ventum, & accipitur pro vanitate, & insolentia, & elatione, vt apud Iob capite quintodecimo: Quid timeat contra Deum spiritus tuus? Et capite Prouerborum sextodecimo: Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus: poteris versuculū illū Psalmographi ita transferre: Terribili, & frangenti superbiam principum. Solet enim Deus aliquando superbiorum conatus infringere, qui vanis opinionibus inflati alios contemnunt: & omnia excessa sibi fumentes & arrogantes in magnis erroribus versantur. Sumitur aliquando spiritus pro Spiritu Sancto: vt Iudicum tertio: Fuit in eo spiritus domini. Et primi Regum sextodecimo: Spiritus autē domini recessit à Saul. Et <sup>48</sup> ~~48~~ quadragesimo octauo: Nunc dominus meus misit me, & spiritus eius. Et **Gene. 1.** Genesis primo: Spiritus domini ferebatur super aquas. Existimant nonnulli per spiritum hoc loco intelligi ventum: ideoque appellari spiritum domini, quod fuerit a domino missus: & quod ea quæ magna sunt, appellantur Dei, vt mōtes Dei, cedri Dei, ciuitas Dei. Sed cum ventus sit aer motus propter terræ exhalationes, vt aiunt philosophi, & prima die creationis mundi, quādo spiritus domini ferebatur super aquas, adhuc non esset aer, nec exhalatio, imo nec terra, perspicuum est,

nec ventū fuisse. Quare debet intelligi locus ille de Spiritu Sancto. Et pro ferebatur est in Hebræo Merachepheth, a verbo Ra chaph, quod significat etiam incubare, & confouere. Incubabat enim spiritus Sanctus super molem illam nomine aquarū significatam, eamque confouebat instar volucris ouis calore vitam largientis. Ipse enim est, qui vitam dat. Si autem viuificator est, vt ita loquar, consequenter conditor & creator. Quod si conditor & creator, ergo Deus: solita sanctissimæ trinitatis persona: quæ folet mitti a patre. Vnde cum alloquens diuinus vates Psalmo 103. aiebat: Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Cum enim missio in sui ratione importet processionem ab alio, & in diuinis secundum originem, vt verbis vtat diu Thomæ articulo quarto quæstionis quadragesimæ, tertiæ partis, pater autem non sit ab alio: nullo modo conuenit ei mitti: sed solum filio, & Spiritui Sancto, quibus conuenit esse ab alio. Et Spiritui Sancto tribuitur viuificatio. Quare de eo locus ille Genesis intelligitur. Magnus Basiliius primam tangit opinionem: sed statim ait in hūc modum. Siue quod verius est, & a maioribus nostris probatum, Spiritus Sanctus Spiritus Dei sit dictus: propterea quod obseruatum est talem de illo peculiari modo scripturam præcipueque facere mentionem: & nihil aliud spiritum Dei appellare, quàm ipsum Spiritum Sanctum, qui diuinæ beatæque trinitatis numerum complet. Hactenus ille. Et assert statim in medium sententiam cuiusdam Syri in scientia rerum diuinarum instructissimi, asserentis verbum Ra chaph, pro quo nos habemus ferebatur, fouere etiam significare: vt intelligeremus Spiritum Sanctum vitalem focunditatem aquis illis seu materię illi, aquarum nomine significare, præbuisse ad efficiendam aui vitalem vim ouis imprimentem. In eadem sententia est Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in Genesis, Gregorius Nyssenus in libro, qui inscribitur, Selecta testimonia ex vetere testamento contra Iudæos, Augustinus, Diodorus, Iulianus, Rupertus, Eucherius, Eucher. Cyril.

Ecc. 12

Psa. 103

Psal. 75

Iob 15

Pro. 16

Iudi. 3

1. Re. 16

Esa. 48

Gene. 1

Exod. 3

Psal. 79

Psal. 45

Psa. 103

Thom.

Basiliius

Hieron.  
Nyssen.  
August.  
Diodo.  
Iulianus  
Rubert.  
Eucher.